

ferri. Hoc obtinente non solum in futuris negotiis, sed etiam in iudiciis pendentibus 65.
In AUTHENT. de alien. et emphyt., § penult. in fin., col. 9, tit. 3, seu Novell. 120, cap. 10.

Præterea si habeat ecclesia superflua vasa, cum debitrix sit, nec aliunde solvere possit, ne quid immobile alienetur, vel distrahatur: integra ea (gestis habitis coram eo cujus est loci ordinatio) vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflatu cuiuslibet alii vendantur, quo magis debitum persolvatur. Qui autem acceperit hoc contra hanc observationem, eisdem pœnis subiaceat, quæ in rebus immobilibus sunt proditæ.

22. Idem, A. DEMOSTHENE præfeto prætorio.

Sancimus, res ad venerabiles ecclesias, vel xenones, vel monasteria, vel orphanotrophia, vel gerontocomia, vel ptochotrophia, [vel nosocomia,] vel brephotrophia, vel denique ad aliud tale consortium descendentes ex qualicunque curial⁶⁶ liberalitate, sive inter vivos, sive mortis causa, sive in ultimis voluntatibus habita, a lucratorum⁶⁷ inscriptionibus liberat immunisque esse: lege scilicet, quæ super huiusmodi inscriptionibus posita est, in aliis quidem personis suum robur obtinente: in parte autem ecclesiastica, vel aliarum domuum, quæ huiusmodi piis consertiis deputata sunt, vigorem suum, pietatis intuitu, mitigante. Con sui enim non faciamus discrimen⁶⁸ inter res divinas et humanas? et quare non competens prerogativa celesti favori conservetur? — § 1. Quam oportet non solum in casibus, quos futurum tempus creaverit, sed etiam in adhuc pendentibus et iudiciali termino, vel amabili compositione necdum⁶⁹ sopitis obtinere. — § 2. Recitata Septimo miliario huius inclite civitatis, in novo consistorio palatii Justiniani.

23. Idem, A. JULIANO PP.

Ut inter⁷⁰ divinum publicumque jus et privata commoda, competens discretio sit, sancimus: si quis aliquam reliquerit hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum, vel donationis titulo aliquid dedit, vel venderit, sive sacrosanctis ecclesiis, sive venerabilibus xenonibus, vel ptochotrophis, vel monasteriis masculorum, vel virginum, vel orphanotrophiis, vel brephotrophiis, vel gerontocomiis, necnon juri civitatum⁷¹, vel donatorum, vel venditorum, vel relictorum, eis sit longæva exactio, nulla temporum solita præscriptione coartanda. Sed et si in redemptionem captivorum quædam præcuniae, vel res relicte, vel legitimo modo donate sunt: et earum exactionem longissimam esse censemus. Et nobis quidem cordi erat, nullis temporum metis huiusmodi actiones circumcludi: sed ne videamur in infinitum hanc extendere, longissimum⁷² vite hominum tempus eligimus, et non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi⁷³ centum annorum curricula excesserint: tunc enim tantummodo huiusmodi exactionem evanescere sinimus. Sive itaque memoratis religiosissimis locis vel civitatibus hereditas, sive legatum vel fideicommissum fuerit relictum, sive donatio vel venditio processerit, in quibuscunque rebus mobilibus, vel immobilibus, vel se moventibus, sive pro redemptione captivorum quædam fuerint derelicta, vel donata: sit eorum pene perpetua vindictio, et ad annos centum (secundum quod jam dictum est) extendatur: nulla alia exceptione temporis inhibenda, sive contra primas personas, sive contra heredes vel successores eorum moveatur. — § 1. In his autem omnibus casibus, non solum personales actiones damus; sed etiam in rem, et hypothecariam, secundum nostræ constitutionis⁷⁴ tenorem, quæ legatariis et fideicommissariis hypothecariam donavit: et supradictis omnibus unum tantummodo terminum⁷⁵ humanæ vite imponimus, id est, centum metas annorum. — § 2. Hæc autem omnia observari sancimus et in his casibus, qui vel postea fuerint [nati,] vel jam in iudicium deducti sunt.—D. D. N. JUSTINIANO. P. P. A. CONSS. 528. Goth. 48.

De præscriptionibus in auth. de eccles., tit. § pro temporalibus autem, col. 9, tit. 14, al. 6, seu Novell. 121, cap. 6.

Quas actiones alias decennales, alias vicennales, alias triennales præscriptio excludit: hæc, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur: usucapione trienni, vel quadrienni præscriptione in suo robore durante: sola⁷⁶ romana ecclesia gaudente⁷⁷ centum annorum spatio vel privilegio.

24. Imper. JUSTINIANUS.

Constantinopolitana ecclesia omnium aliarum est caput⁷⁸. — § 1. Jure

65. L. 7. inf. de legib. — 66. N. 151, c. 5, in fin. — 67. L. un. inf. de imponend. luc. detec. — 68. L. 28, in pr. inf. h. t. — 69. L. un. in fin. inf. de contract. jud. add. N. 115, c. 1, in fin. — 70. L. 29, in fin. pr. sup. h. t. — 71. Vide tamen L. 16, D. de verb. sign. — 72. L. 56, D. de usufr. l. 8, in fin. D. de usufr. legat. N. 9: adde § 1, inf. h. t. — 73. Abrog. — 74. L. 11, c. 1, N. 151, c. 6, — 75. L. 1, l. 2, inf. comm. de legat. — 76. Supr. h. t. in pr. — 76.

colatorio facta concessio, irrita est in ecclesiasticis, utpote neque jure cognita. — § 2. Si in actu magistratus Constantinopoleos, per se vel mediam personam a magna ecclesia immobile acceperit: id, quod gestum erit, irritum erit et dabit ecclesiæ astimationem rei. Similiter et œconomus. Si vero et per alium modum persuserit, aut coegerit pervenire ad se ecclesiasticam rem: et id, quod gestum fuerit, infirmum sit, et pro illo datum in personam ecclesiæ, restituitur ipsi: et præterea subiicitur pœna viginti auri librarum ipse, et ille qui rem dedit, et qui accepit ob eam rem, quod curavit fieri contractum, datum ipsi reddidit duplum, et omnia acquiruntur ecclesiæ. — § 3. Ultra⁷⁹ viginti annos res immobilis ecclesiæ ne locator. — § 4. Solis locupletibus licet, et oportet ecclesiasticas res in emphyteusim dare propter restitutionem aspectus. Excedi autem non oportet vitam emphyteusim capientis, et⁸⁰ duorum deinceps ejus heredum: neque relevari amplius sexta parte servati canonis in tempore traditionis. Si autem lædatur res instante tempore, expellitur, et damnum sarcit. Si vero negligenter versatus fuerit œconomus, aut minus idoneis in emphyteusim dederit, ipse agnoscat damnum.

25.

Chartularii ecclesiæ magnæ, neque per intermedium personam possunt accipere rem immobilem ipsius per conductionem, aut emphyteusim, aut alium modum. — § 1. Fiant chartularii, præunte libello, et ferente subscriptionem tam patriarchæ, quam œconomi. — § 2. Et si quis ipsorum apparuerit surripuisse, aut transtulisse, aut alias inutilis esse, licet patriarchæ, et œconomi eum expellere de catalogo. — § 3. Fiant autem ad scriinium Orientis, chartularii, xv; ad Asianæ, xv; ad Ponti, xv; ad domesticorum, xv; ad Thraciæ, viii; ad Antiochi, vi; ad Calopodii, vi; ad expensarum, x; ad legatorum, ix. — § 4. Et accipiant ratione consuetudinum pro emphyteuticis quidem instrumentis, quinquagesimas: pro conductonibus vero, et cæteris contractibus, centesimas. — § 5. Si vero supra præfatum numerum chartularii fiat, ejicitur, et dat ecclesiæ xv libras: et qui fecit illum, xx. — § 6. Cum inquisitione digenti œconomi discutuntur, sententia patriarchæ, factam impensam ab emphyteutis, et conductoribus, et administratoribus, unoquoque ex œconomi inquirent in sibi commissa administratione: reliquarum vero rationem inquirent ex jussione scripta patriarchæ, qui rationibus subscribet hoc, Belegi: et quod extra hanc observationem discussum fuerit, de domo sua œconomi præstabit. — § 7. Imputatæ autem seu acceptolatæ impense, et illatarum pecuniarum accipiunt œconomi centesimas⁸¹; qui autem plus excipit, et ministerii chartularii, et sacra dignitate excidit. — § 8. Incontinenti oportet œconomos singulis mensibus, et ad summum binis, rationes reddere apud arcarios: sin minus periculabuntur.

26. Imp. JUSTINIANUS A. JULIANO P. P.

Quoniam in plerisque nuper testamentis invenimus huiusmodi institutiones, quibus ex ase quis scripserat dominum nostrum Jesum Christum heredem, non adiciens oratorium, aut templum ullum, aut ipsum dominum Jesum Christum ex semisse, vel aliis inæqualibus partibus, alium vero quempiam ex dimidia, vel alia portione (jam enim in complura huiusmodi testamenta incidimus) cum videremus multam exinde incertitudinem secundum veteres leges exoriri. Nos hoc etiam emendantes sancimus; si quidem dominum nostrum Jesum Christum scripsit quis heredem vel ex ase, vel pro parte, manifeste videri ipsius⁸² civitatis, vel castelli, vel agri, in quo constitutus erat defunctus, ecclesiam sanctissimam institutam esse heredem, et hereditatem peti debere per Deo amantissimos ejus œconomos ex ase, vel pro parte, ex qua heres institutus est: eodem obtinente, et si legatum, vel fideicommissum relictum sit: ut ipsa competant sanctissimis ecclesiis ad hoc quidem, ut ad pauperum alimoniam conferant.

§ 1. Si vero unius ex archangelis meminerit, vel venerandorum martyrum, nulla facta ædis mentione: (quod quidem etiam novimus a quodam factum, qui ex illustribus erat, et in omni verborum, et legum doctrina spectatissimus) si quidem aliquis sit in illa civitate, vel vicinia ejus, venerabilis locus in honorem illius reverendissimi archangeli, vel martyris constructus, videri ipsum scriptum esse heredem: si vero nullus talis locus est in illa civitate viciniae ejus, tunc venerabilia loca, quæ in metropoli ejus sunt, videri instituta: et si quidem in ipsa metropoli inventus fuerit, talis aliquis locus illi, proculdubio videri relictam, vel hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum: si vero illic nullus talis locus apparat, denuo ecclesiis, quæ in illo loco sunt, capere id debere.

N. 9. — 77. Inmo abrog. N. 151, c. 6. — 78. Obst. L. 7, in fin. pr.; L. 8, in pr. vers. reddentes honorem, supr. de panna Trinit. — 79. Vide tamen Auth. perpetua 7, post L. 14, supr. h. t. — 80. N. 7, c. 5, in pr. — 81. § 4, supr. h. t. — 82. L. 49, § 2, inf. tit. prox. N. 151, c. 9; L. 59, in fin. D. de condit. et demonst.

Sane sanctissimis ecclesiis omnes aliæ domus cedunt: nisi constet, defunctum aliud nomen sensisse et voluisse adijcere, et aliud dixisse: nam tale quid accidisse, et nos scimus in cujusdam Pontici testamento, et tunc etiam constitutum fuisse, ut contra⁸³ scriptum veritas obtineret. — § 2. Si autem testator certum locum non apposerit, multa autem templa ejusdem tituli aut nominis in illa civitate inventa fuerint, vel ejus vicinia, si quidem in aliquo illorum defunctus frequenter versabatur, et majorem erga illud habebat affectionem, illi templo videri legatum relictum: si vero nihil tale invenietur, maxime ei templo ex multis ejusdem nominis videatur relictum legatum, vel hereditas quæ⁸⁴ est cæteris indigentius, et magis opis et eleemosynæ egens.—Dat. 15 kal. nov. CP LAMPAD. et OREST. VV. CC. CONSS. 150.

TIT. III.

DE EPISCOPIS, ET CLERICIS, ET ORPHANOTROPHIS, ET XENODOGHIS, ET BREPHOTROPHIS, PTOCHOTROPHIS, ET ASCETRIIS, ET MONACHIS, ET PRIVILEGIIS EORUM, ET CASTRENSI PECULIO, ET DE REDDENDIS CAPTIVIS, ET DE NUPTIIS CLERICORUM VETITIS SEU PERMISSIS.

1. Imperator CONSTANTINUS A. clericis salutem dicit.

Juxta sanctionem⁸⁵, quam dudum meruistis, et vos et mancipia vestra nullus novis collationibus obligavit: sed vacatione gaudebitis: præterea neque hospites suscipietis. — Datum 6 kalend. septemb. PRACIDO et ROMULO CONSS. 545.

2. Imp. CONSTANTINUS A. [et JUL. CÆS.] Felici episc.

Omnis a clericis indebite conventionis injuria, et inique exactionis⁸⁶ repellatur improbitas: nullaque conventio sit contra eos munerum sordidorum⁸⁷; et cum negotiatores ad aliquam præstationem competentem vocantur, ab his universis istiusmodi strepitibus conquiescat. Si quid enim vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura (honestati tamen conscientia) congresserint; id in usum pauperum atque egentium ministrari oportet: at id quod ex eorumdem ergasteriis vel tabernis conquiri poterit et colligi, collectum id religionis existimatum lucrum. — § 1. Verumetiam hominibus eorumdem, qui operam in mercionis habent, divi principis genitoris mei statuta multimoda observatione caverunt, ut iidem clerici privilegii pluribus redundarent. — § 2. Itaque extraordinarium munerum a predictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. — § 3. Ad parangariam quoque præstationem non vocentur⁸⁸, nec eorumdem facultates atque substantie. — § 4. Omnibus clericis huiusmodi prerogativa succurrat, ut et conjugia clericorum ac liberi eorum quoque, [et] ministeria, id est, mares pariter ac foeminae, eorumque etiam filii [et filiae] immunes semper ab huiusmodi muneribus perseverent. — Datum 9 idib. decemb. Med. Lecta 5 kal. Jan. apud acta, CONSTANTIO A. 9 et JULIANO CÆS. 2 CONSS. 557.

Nova constitutio FRIDERICI imperatoris, de statu et consuet. contra lib. Eccles., col. 10; § item nulla.

Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias, ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere ecclesiastica bona vorantur: quod si fecerint: et requisiti ab ecclesia vel imperio, emendare contempserint, tripulum⁸⁹ refundant: et nihilominus bona imperiali barno subiaceant: quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

3. Idem, A. et CÆS., ad Taurum præf. præf.

De his clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena jura nequaquam statuet excusare: sed etiam pro his prædiis, quæ ab ipsis possidentur, eosdem ad pensanda fiscalia perurgeri; universos namque clericos possessores duntaxat provinciales: pensationis fiscalium, translationisque faciendas recognoscere jubemus. — Data epistola prid. kalend. Jun. Med. CONSTANTIO, A. 10 et JUL. CÆS. 3 CONSS. 560.

4. Idem, A., ad Taurum P. P.

Officiales rationales; si exhibitione cursus seu primipili⁷ necessitate neglecta, interversa etiam ratione fiscali, ad clericatus honorem putave-

83. Adde L. 4, inf. de testam. — 84. N. 151, c. 9, in fin.; L. 49, § 5, inf. tit. prox. Tit. III. — 1. N. 5, 6, 125. — 2. L. 3, sup. tit. prox. — 3. 2. Feud. 53, § 2, in fin. — 4. L. 5, supr. tit. prox. — 5. Excep. L. 11, supr. tit. prox. — 6. § 12, Inst. de action. in rem sive 2, Feud. 53, § 2, in fin. — 7. Adde L. 27, inf. h. t. — 8. Inmo vide N. 125, c. 15. — 9. N. 5, c. 8. — 10. Obst. N. 125, c. 12. — 11. L. un. inf. de rapt. virg. — 12. L. 1, § 2, 3 et 4, D. de mun. et hon. — 13. L. 52, in pr. et Auth. presbyteros, inf. h. t. — 14. Inmo vide L. ult. inf. ut nemo privatus. — 15. L. 1, § ult. D. de leg. Corn. de falsis.

rint transeundum, ad priorem conditionem retrahantur. Si vero obnoxii ratiociniis vel necessitatibus non sint: sub notione judicium, officiois contentibus, si probabilis vite studium id postularit, transferantur, nec cessionem metuant facultatum. Quod si clandestinis artibus putaverint irrependum, duas partes suarum rerum concedant liberis: aut si proles defuerit, propinquis: ex propria substantia portionem tertiam sibi met retenturi. Sin vero propinquorum necessitudo defuerit; geminæ porciones officiois, in quibus militant, relinquuntur: portione tantummodo tertia sibi retenta. — Datum 4 kalend. septemb. TAURO et FLOR. CONSS. 561.

In AUTHENT. de sanctis Episcop. sed neque curialem, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 123, cap. 15.

Sed neque curialem aut officialem, clericum fieri permitimus: ne ex hoc venerabili clero fiat injuria. Si vero tales personæ in clero constituantur, tanquam nec ad ordinationem perductæ, propriæ fortunæ restituantur; nisi monasticam forsitan vitam aliquis eorum non minus quindecim annis impleverit: tales enim ordinari præcipimus, quarta⁹⁰ propriæ substantiæ sibi retenta, reliquis partibus curiæ et fiscalis vindicandis, si in clero constituti monasticam et decentem vitam impleverint. — § 1. Sed si post clericatus honorem aliquis eorum uxorem, aut concubinam acceperit, propriæ fortunæ reddatur, licet tali ecclesiastico gradu tenebatur, in quo quis constitutus uxorem ducere non⁹¹ prohibetur. Idem est et in omnibus aliis monachis, licet nulli fortunæ prius subjecti fuerint. Et generaliter quicumque in quolibet ecclesiastico gradu constitutus, ad secularem vitam redierit, honore nudatus, curiali fortunæ propriæ civitatis reddatur⁹².

5. Imp. JOVINIAN. A. Secundo præfeto prætorio.

Si quis⁹³ non dicam rapere, sed attentare tantum jurendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. — Datum 14 kalend. Mart. GRATIANO A. 5 et MEROBAUDE CONSS.

6. Imperatores VALENTINIANUS, VALENS et GRATIANUS AAA., ad Cataphronium.

Presbyteros, diaconos, subdiaconos, atque exorcistas, et lectores, ostiarios, [acolythos] etiam personalium⁹⁴ munerum expertes⁹⁵ esse præcipimus. — Dat. 5 non. Mart. GRATIANO A. 5 et MEROBAUDE CONSS. 577.

Pars auctorum habitorum in consistorio apud imperatores GRATIANUM, VALENTINIANUM, et THEODOSIUM, consulatu SYAGRII, et EUCHERI VIRONUM clarissimorum, die 5 kal. Januar. Constantinopoli in consistorio.

7. Imp. THEODOSTES dixit.

Nec honore, nec legibus episcopus ad testimonium [dicendum] flagitetur. Item dixit, episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet: nam et persona oneratur, et dignitas sacerdotis exempta confunditur.

In AUTHENT. de sanctis Episcop., § nulli vero iudicium, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 123, cap. 7.

Sed iudex mittat ad eos quosdam de suis ministris, ut propositis sacrosancis Evangelis, secundum quod decet sacerdotes, dicant ea quæ noverint, (non tamen jurent.)

8. Idem, A. Paulino præfeto Augustali.

Presbyteri citra injuriam questionis testimonium dicant: ita tamen, ut falsa non simulent. Cæteri vero clerici qui eum deinde gradum, vel ordinem sequuntur; si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges præcipiunt, audiantur: [ut] salva tamen sit litigatoribus falsi actio, si forte presbyteri, qui suo nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem injuriam sunt præcepti, hoc ipso, quod nihil metuant, vera suppresserint: multo magis⁹⁶ enim pœna digni sunt, quibus cum plurimum honoris per nostram jussionem delatum est, occulto inveniuntur in crimine. — Datum 8 kal. Aug. ARCAD. A. et BAUTONE CONSS. 585.

In AUTHENT. de sanctis Episcop., § reverendissimis, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 123, cap. 20.

Presbyteri seu diaconi, si falsum testimonium perhibuisse convinctantur, si quidem in causa pecuniaria, a divino ministerio duntaxat per tres annos separati, monasteriis pro tormentis tradantur: sed si in criminali, clericatus honore nudati, legiimus⁹⁷ pœnis affiendii sunt: cæteri vero clerici, communi jure ab officio ecclesiastico repulsi, sine delectu causæ verberibus coercentur.

c. 8. — 10. Obst. N. 125, c. 12. — 11. L. un. inf. de rapt. virg. — 12. L. 1, § 2, 3 et 4, D. de mun. et hon. — 13. L. 52, in pr. et Auth. presbyteros, inf. h. t. — 14. Inmo vide L. ult. inf. ut nemo privatus. — 15. L. 1, § ult. D. de leg. Corn. de falsis.

9. Imp. VALENTIANUS, THEODOS. ET ARCAD. AAA. Tatiano P. P. Nulla ¹⁶, nisi emensis quinquaginta ¹⁷ annis, secundum preceptum apostoli, ad diaconissarum consortium transferatur. — Datum 14 kal. Jul. Mediolani, VALENTINIANO A. 4 ET NEOTHERIO CONSS. 590.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § Presbyterum, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, cap. 15.

Presbyterum minorem xxxv annis fieri non permitimus: sed neque diaconum, vel subdiaconum minorem xxv annis: neque lectorem minorem annis xviii. Item episcopum, minorem annis xxxv ordinari prohibemus.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § diaconissam vero, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, cap. 15.

Diaconissam in sancta ecclesia non ordinari precipimus, quae minor sit annis quadraginta, aut si ad secundas pervenerit nuptias.

10. Imp. ARCADII ET HONORII AA. Theodoro P. P.

Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus, ministris vel ipsi cultui, locoque, aliquid importet injuriae, quod geritur, a provinciae rectoribus animadvertatur: atque ita provinciae moderator, sacerdotum et catholicae ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius, et divini cultus injuriam capitali in convictos, seu confessos reos sententia noverit vindicandum: nec expectet, et episcopos injuriae propriae ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi gloriam deliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atrocis sacerdotibus, aut ministris injurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta a civili apparitoris executione et adminiculo ordinum [vel ordinatorum] possessorumve non poterit flagitari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur: praesides provinciarum etiam militari auxilio per publicas litteras appetito, competentem vindictam tali excessui imponere non morentur. — Dat. 7 kal. Maji, Mediolani, HONORIO 5 ET EUTYCHIANO CONSS. 598.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § si quis cum sacra, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, cap. 51.

Sed novo jure pro tali injuria verberatur, aut in exilium mittitur. Sed si sacra ministeria turbaverit, vel celebrare prohibuerit, capite puniatur. Idem est, et in litaniis: nam pro injuria verberatus exilio tradatur: si eas concusserit, capite plectatur. Laici facere litanias interdicitur sine clericis: quae sine orationibus et cruce fieri non debent.

11. Idem, AA. Eutythiano P. P.

In ecclesiis, quae in possessionibus (ut fieri adsolet) diversorum, vicis etiam vel quibuslibet locis sunt constitutae, clerici non ex alia possessione, vel vico; sed ex eo, ubi ecclesiam esse constiterit, ordinantur: ut propriae capitationis onus ac sarcinam recognoscant. Ita ut pro magnitudine, vel celebritate uniuscujusque vici, ecclesiis certus, iudicio episcopi, clericorum numerus ordinetur. — Dat. 3 kal. Aug. Minizo, HONOR. A. 4 ET EUTYCHIANO CONSS. 598.

12. Idem, AA. Eutythiano P. P.

Si quis curialis, clericus fuerit ordinatus, nec statim, conventionem praemissa, pristinae conditioni reddatur, is vigore et solertia iudicantium, ad pristinum sortem, veluti manu injecta, mox revocetur: clericis enim ulterius legem prodesse non patimur: quae, cessione patrimonii subsecuta, decuriones clericos esse non vetabat. — Datum 6 kal. Aug. Minizo, HON. A. 4 ET EUTYCHIANO CONSS. 598.

13. Idem, AA. Fidiario vicario.

Si venerabilis ecclesiae privilegia, cujuscumque fuerint, vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum [hoc] quinque librarum auri condemnatione plectetur. — Datum 7 kalend. Jul. Brixiae, THEODORO V. C. CONSS. 599.

Nova constitutio Friderici, de statu et consuet. contra lib. Eccl., § item quaecumque, coll. 10.

Item quaecumque communitas vel persona, quae annum in excommunicatione propter libertatem ecclesiae fractam et violatam perseveraverit, ipso jure imperiali banno subjaceat: a quo nullatenus extrahatur: nisi prius ab ecclesia beneficio absolutiois obtento.

14. Idem, AA. Hadriano P. P.

Quicumque, residentibus sacerdotibus, fuerit episcopali loco, vel no-

16. N. 6, c. 6 — 17. Mutat. N. 125, c. 15, in fin. — 18. d. N. 125, c. 1, § 1; mut. N. 207, c. 2. — 19. Adde d. N. 125, c. 21. — 20. Immo vide L. 1, § 17, D. de quest. — 21. N. 125, c. 21. — 22. d. N. 125, c. 18. — 23. d. N. 125, c. 1, § 1, vers. Curialem; L. 55, infr. h. t. — 24. L. 5, infr. qui bonis cedere. — 25. L. 21, § 1, infr. h. t. — 26. Immo vide L. 5, supr. de SS.

mine detrusus, si aliquid contra custodiam vel quietem publicam moti fuerit deprehensus, rursusque petere sacerdotium, a quo videtur expulsum, procul ab ea urbe, quam conturbaverit, centum millibus vitam agat: nec nostra adeat secreta, nec impetrare rescripta speret, sed etiam impetratis careat: defensoribus etiam eorum [nostrum] indignationem subituris. — Datum prid. non. febr. Raven. STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § si quis autem Episcop., coll. 9, tit. 9, al. tit. ult., seu Novell. 125, cap. 11.

Si quis episcopus sacerdotio pulsus, praesumpserit ingredi civitatem, ex qua pulsus est, relinquens locum, in quo degere jussus est, jubemus, hunc monasterio in alia religione constituto tradi: ut, quae in sacerdotio deliquit, in monasterio degens corrigat.

15. Idem, AA. Studio P. U.

Conventicula illicita etiam extra ecclesiam in privatis aedibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus ejus in ea clericos nova ac tumultuosa conventicula extra ecclesiam celebrantes susceperit. — Datum 4 kalend. septemb. CP. HONORIO A. 6 ET ARISTENETO CONSS. 404.

16. Imp. HONOR. ET THEODOS. AA. Anthemio P. P.

Quisquis census fuerit annotatus, invito agri domino temperet ab omni clericatu: adeo, ut etiam in eo vico, in quo noscitur mansitare, clericatus fuerit, sub hac lege religiosum adsumat sacerdotium; ut et capitationis sarcinam per ipsum dominum agnoscat compellatur, et in ruralibus obsequiis, quo maluerit, subrogato utatur: ea scilicet immunitate indulta, quae certae capitationis venerandis ecclesiis relaxatur: nullo contra hanc legem unquam valituro rescripto. — Dat. HONORIO A. 8 ET THEOD. A. 3 CONSS. 409.

17. Idem, AA. Maximo P. P.

Placet nostrae clementiae, ut nihil commune clericis cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus [cujus corpori non sunt annexi,] habeant. — § 1. Praeterea his qui parabolani vocantur, neque ad quodlibet publicum spectaculum, neque ad curiae locum, neque ad iudicium accedendi licentiam permissum: nisi forte singuli, ob causas proprias et necessitates judicem adierint, alique pulsantes lite, vel ab alio ipsi pulsati, vel [in communes totius corporis causas] syndico ordinato: sub ea definitione, ut, si quis eorum haec violaverit, et brevibus parabolani eximatur, et competentis supplicio subijgetur, nec unquam ad eandem sollicitudinem revertatur. — Datum 5 kalend. octob. CP. THEOD. A. 7 ET PALLADIO CONSS. 416.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § Interdicimus, ii. col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, cap. 10.

Interdicimus sanctissimis episcopis, et presbyteris, diaconis, et subdiaconis, et lectoribus, et omnibus aliis cujuscumque ordinis venerabilis collegii aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus, hunc tribus annis a venerabili ministerio prohiberi, et in monasterium redigi: sed in medio tempore si se poenitentem ostenderit, liceat sacerdoti sub quo constitutus est, tempus minuire, et hunc priori rursus ministerio reddere.

18. Idem, AA. Monaxio P. P.

Parabolanos qui ad curanda debiliu aegra corpora deputatur, sexcentos constitui precipimus: ita ut per arbitrium viri reverendissimi antistitis Alexandriae urbis de his qui antea fuerant, et qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam, sexcenti parabolani ad hujusmodi sollicitudinem eligantur: exceptis videlicet honoratis, et curialibus. Si quis autem ex his naturali sorte fuerit adsumptus, alter in ejus locum pro voluntate ejusdem sacerdotis (exceptis honoratis et curialibus) subrogetur, ita ut hi sexcenti viri reverendissimi sacerdotis praecipis ac dispositionibus obsecundent, et sub ejus cura constant: reliquis, quae dudum late legis forma complectitur, super his parabolanis, vel de spectaculis, vel de iudiciis, caeterisque (sicut iam statutum est) custodiendis. — Dat. 3 non. febr. CP. HONORIO 12 ET THEOD. 10 AA. CONSS. 418.

19. Idem, AA. Palladio P. Urb.

Eum, qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio so-

ecles. — 27. N. 125, c. 11, in fin. — 28. Adde L. 5, in pr.; L. 5, infr. de haeret. 2, Feud. 55, § 1, vers. conventicula. — 29. L. 57, in fin. infr. h. t. — 30. N. 125, c. 17, in fin. — 31. L. 41, in fin. infr. h. t.; d. N. 125, c. 6; N. Leon. 86. — 32. L. 18, infr. h. t. — 33. d. N. 125, c. 10. — 34. L. 34, infr. de episc. aud. — 35. L. 17, supr. h. t.

roriae appellationis non decet: quicumque igitur cujuscumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur: extraneorum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant, hac tantum eis facultate concessa, ut matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant: in his enim nihil saevi criminis existimari foedus naturale permittit. Illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio, quae ante sacerdotium maritorum, legitimum meruere conjugium: neque enim clericis incompetentem adiuncti sunt, quae dignos sacerdotio viros sua conversatione fecerunt. — Dat. 8 idib. Maii, Raven. DN. THEOD. A. 9 ET CONSTANTIO V. C. CONSS. 420.

In AUTHENT. de Nupt., § sed et si quis inter, col. 4, tit. 4, seu Novell. 22, cap. 42.

Multo magis ergo cessant eorum conjugia: soli enim cantores letoresque nuptias contrahere permittuntur: aliis autem omnibus penitus interdicitur. Verumtamen si et ipsi ad secundas pervenerint nuptias, nequaquam ad sacerdotii culmen ascendant.

In AUTHENT. quomodo oportet Episc., § haec autem versic neque autem, col. 1, tit. ult., seu Novell. 6, cap. 5.

Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur: sed si habere probeat, ab episcopatu dejiciatur, quo se fecit indignum.

20. Imp. THEOD. ET VALENT. AA., ad Taurum praefect. P. et patricium.

Si quis presbyter, aut diaconus, aut diaconissa, seu subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci clericus, aut monachus, aut mulier, quae solitaria vita dedita est, nullo condito testamento decesserit; nec ei parentes utriusque sexus, vel liberi, vel qui agnationis cognationisque jure junctur, vel uxor extiterit, bona, quae ad eum, vel ad eam pertinerunt, sacrosanctae ecclesiae, vel monasterio, cui [forte] fuerat destinatus, aut destinata, omnifariam sciocentur: exceptis his facultatibus, quas forte censibus adscripti, vel juri patronatus subjecti, vel curiali conditioni obnoxii clerici, vel monachi, cujuscumque sint sexus, relinquunt. Neque enim justum est; bona, seu pecunia, quae ad patrono legibus debentur, aut domino possessionis, cui quis eorum fuerat adscriptus, aut ad curias pro tenore dudum late constitutionis sub certa forma pertinere noscuntur; ab ecclesiis, aut monasteriis detineri: actionibus videlicet competentibus sacrosanctis ecclesiis, vel monasteriis reservatis, si quis forte praedictis conditionibus obnoxius, aut ex gestis negotiis, aut ex quibuslibet aliis ecclesiasticis actionibus obligatus obierit. — Dat. 14 kal. Jan. ARIOVINDO ET ASPERE CONSS. 354.

In AUTHENT. de Monachis, § illud quoque, col. 1, tit. 5, seu Novell. 5, cap. 8.

Nunc autem cum monachus factus est: hoc ipso suas res omnes obtulisse monasterio videtur, si prius testatus non sit, et exinde iudicio ejus cessante lege disponitur: ut si libros habeat, in quos aut nihil, aut minus legitima portione quoquo donandi titulo contulerit, eatenus substantia monasterio destinatae detrahat, ne quid contingat circa liberos iniquum salvo tamen jure uxoris, et aliorum creditorum.

21. Idem, AA. Thomae praefecto praetorio.

Ad similitudinem tam episcoporum orthodoxae fidei, quam presbyterorum et diaconorum; hi, qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt, per substitutos, periculo suarum facultatum, curiae muneribus satisfacere non vententur. — Dat. 4 non. april. CP. ISIDORO ET SENATORE CONSS. 436.

22. Idem, AA. Florentio P. P.

Si qua per calumniam postulatio super criminalibus causis apud competentem iudicem deposita exhibitionis causa fuerit, sacrosanctae religionis antistiti triginta pondo auri condemnatione publicis calculus inferenda, ut percellatur, precipimus. — § 1. Quinetiam omnia privilegia, quae sacrosanctis ecclesiis confugarum, aut clericorum, decanorum, aut aliorum ecclesiasticorum causa, legibus sunt praestita, intacta atque illibata servari. — § 2. Praeterea jubemus, ut omnes clerici atque monachi, qui de suis civitatibus ad hanc aliam urbem ecclesiastici negotii, vel religionis causa proficiuntur, litteris episcopi, cui unusquisque eorum iter faciens obsequitur, muniti adveniant: scituri, quod si citra hanc fiduciam accesserint, sibi impudenter, quod non clerici vel monachi esse putabantur. D. THEOD. A. 17 ET FESTO CONSS. 439.

In AUTHENT. de sanct. Episcop., § sed neque pro qualibet, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Nov. 125, c. 8.

Nullus episcopus invitatus ad civilem, vel militarem iudicem in qua-

36. N. 125, c. 29; N. 133, c. 3; N. 137, c. 1, in fin. — 37. Fac. L. 34, infr. ad leg. Jul. de adult. — 38. Adde N. 5, c. 8. — 39. N. 6, c. 5. — 40. N. 151, c. 15, in fin. — 41. L. 50, infr. h. t.; N. 125, c. 19. — 42. L. 12, in pr.; L. 16, supr. tit. prox. — 43. L. 6, infr. de his qui ad eccles. — 44. N. 86, c. 8. — 45. L. 8, infr. de haeret. et manich. — 46. L. 28, L. 49, § 1, infr.

libet causa producat, vel exhibeat, nisi princeps jubeat: iudex autem, qui duci, vel exhiberi imperaverit, post cinguli privationem, viginti libras auri ecclesiae illi, cujus episcopus est, persolvat: executore post cinguli privationem verberibus subdendo, et in exilium deportando.

23. Imp. VALENT. ET MARCIAN. AA. Palladio praefecto praetorio.

Quoniam venerabilis recordationis Fabianus hujus aemae urbis episcopus, cum venerabilis synodi innumerabilium pene sacerdotum, qui Chalcedoni convenerunt, tanto et tali decoratus est testimonio, ut Eutyches, qui contra senserat, cum sceleratis dictis suis ab omnibus uno ore damnaretur; aboletur quidem Eutychetis damnosa memoria, Fabiani autem laudabilis recordatio relevetur. — Data Constantinopoli, pridie nonas ASPORATIO V. C. ET QUI FUERIT NUNCIATUS CONSS. 45.

24. Idem, AA. Palladio praefecto praetorio.

Id, quod pauperibus testimonio vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum firmiturque consistat.

25. Imp. MARCIANUS A. Constantino P. P.

Cum clericis in iudicio vocatis pateat episcopalis audientia: volentibus tamen actoribus, si actor disceptionem sanctissimi archiepiscopi noluert experiri, eminentissima tuae sedis examen contra catholicos sub viro reverendissimo archiepiscopo hujus urbis clericos constitutos, vel contra reverendissimum aconomum, tam de suis, quam de ecclesiasticis negotiis, sibimet noverit expetendum: qui in nullo alio foro, vel apud quemquam alterum iudicem eosdem clericos litibus irretire, et civilibus vel criminalibus negotiis tentet innectere. — § 1. Memorati autem reverendissimi clerici orthodoxarum ecclesiarum, quae sub viro religiosissimo antistite hujus inclitya urbis sunt; in causa, in qua vel ipsi, vel procuratores, quos pro se dederint, sententiarum tuarum auctoritate pulsantur; executoribus, per quos coeperint conveniri; fidejussorem, sacratissima hujus urbis ecclesiae aconomum, vel defensorem praebant; qui usque ad quinquaginta libras auri fidejussor existat. Ipse vero reverendissimus aconomus aemae hujus urbis ecclesiae lite pulsatus, fidejussorem pro se non praebat: utpote qui et aliorum vclericorum fidejussor futurus est, sed fidei suae committatur. Quod si lis diversorum (excepto reverendissimo aconomico) clericorum, quae agitanda sit, memoratam summam videatur excedere: clericus lite pulsatus, det executori pro residua quantitate cautionem suam: cui nullum tamen insertum erit jurandum: quia ecclesiasticis regulis, et canone a beatissimis episcopis antiquitus instituto, clerici jurare prohibentur. — § 2. Statuimus autem, ut executoribus idem reverendissimus aconomus, vel alii diversi clerici sub beatissimo archiepiscopo hujus splendidissima civitatis, sententiarum tuarum auctoritate communiti, duos solidos tantummodo dent pro commonatione sua, et pro institutione procuratoris, si per eum voluerint litigare. Quod circa alios quoque diversos apparitores eminentiae tuae, in his quae ex consuetudine praebentur officio, observari in causis praedictorum clericorum jubemus: ut litis sumptus vel expense a clericis pauciores humanioresque praestentur. — Dat. 8 april. VARARI ET JOANNE CONSS. 456.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § sportularum, coll. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, c. 28.

Sed hodie nulla persona in ecclesiastico officio constituta, in quilibet causa criminali, vel pecuniaria cujuscumque quantitatis, vel diaconissa, vel monachus, vel ascetria, vel monacha amplius quatuor siliquis permittantur dare: nisi cum ex jussione principis ad alias provincias vocantur: ubi non ultra unum solidum accipiet executor Episcopus pro rebus ecclesiae suae nihil praestet nomine sportularum: actiones contra ecclesias propositas aconomis suscipientibus, vel illis, qui in eam causam sunt ordinati. Qui contra hoc exegerit, in duplum, quod exactum est, reddet, nudandus cingulo, si miles est: si clericus, a consortio clericorum removendus.

In AUTHENT. de Litigiis, § ad excludendas, col. 8, tit. 15, al. tit. 8, seu Novell. 112, c. 2.

Generaliter autem iudex provideat, libellum pulsato non porrigi, sportulasve ab eo non exigi, nisi prius et in libello actor, per se, aut per tabularios conscribat, et actis intervenientibus fidejussorem idoneum periculo competentis officii praestet. Quod usque ad finem litis permaneat, eamque vel per se, vel per procuratorem exerceat: et, si con-

h. t. — 47. Adde Auth. Causa qua fit et Auth. Clericus quoque, infr. eod. L. 13, L. 29, infr. tit. prox. — 48. Immo vide N. 125, c. 21, § 2. — 49. L. 35, § 2, infr. h. t. — 50. Immo vide Auth. hoc jus porrectum post; L. 14, supr. tit. prox. — 51. Confer. L. 55, § 5, infr. h. t. — 52. Immo vide N. 124, c. 5. — 53. Adde Auth. libellum, infr. de litis contest.